P. Bertius Henrico Stephano S. D.

Vide quam sim amicitiae tenax. Vidi te, noviq(ue) familiariter Argentorati; a tuo discessu multas emensus terras, multa maria, Germaniã, Bohemiam, Silesiam, Poloniam, Russiã Masoviam, Borussiamque cũ Generoso Slupecio peragravi: ita tamẽ apud me recens tui fuit memoria, ac si perpetuus mihi fuisses itineris comes. Video(que) mehercule ut fama, ita amor vires eundo acquirere, ut quo maiore abs te locorũ intervallo disiunctus sum, hoc te impensius diligam. Sed tu interea, satin Bertij tui memor es? satin verborũ ultimorũ? Nempe ita convenerat, saepe ut ad te ego, saepe ad me tu litteras missitares. Num videor officio meo defuisse? Te verò mi Henrice, quem numquã amavi aequè atque nunc amo, etiam atque etiam rogo, ut qui status rerũ vestrarũ sit, facias nos certiores. Ego Glossariũ meũ, quod vidisti, multis partibus Criticorũ ope auctius, iam penè adfectũ habeo. Necto etiam in Ethicis corollã Lipsiacũ in morẽ, q ex varijs Philosophorũ Poetarũ, Historicorũ, maximè verò Theologorũ sententijs conserta sit. Atque haec quidẽ operis subcisivis, quantũ officiũ meũ (ad quod iam olim ut scis ab Ordinibus adcitus sum) permittit. Nam hic in Collegio Ordinũ Theologico Propraesidis officio fungor. Lipsius Lovanij est; de quo, quia sine acerbo dolore meo meminisse nõ possũ, statui nihil scribere. Scaliger die ab hinc octavo ad nos venit, & desideriũ sui, quod morã, lentaq(ue) profectione auxerat, egregiè explevit. Respublica tranquilla hic & pacata. Ecclae, Dei virtute, florentes. Habes de rebus nostris. Tu quid privatim, quid publicè, quid in studijs, quid in typographia agas, (nã otiosũ desidemq(ue) esse pter ingeniũ tuũ est) scribe. Valde amamus doctos, & colimus, teq(ue) inter illos eximiũ, eximiè. Glossariũ manuscriptũ, quod tibi dono dederã, apud Gotthofredũ deposui discedens. Credo tibi redditũ. sin minus, & hoc scribe. Casaubonũ, coryphaeũ Graecorũ à me salvere iube, & hoc amplius indica, inter multa alia q mihi pter mentẽ atq(ue) opinionẽ meã in peregrinatione accidere, illud penè esse pcipuũ, quod ipsũ & D. Bezã nõ viderim, quos utrumq(ue) amo, observo & colo. Nunc serũ est vel illa sperare, vel optare. Vale, & Argentinã si veneris, Rectorẽ, Glaserũ notos oẽs saluto. Datũ Lugduni Bat.

Pridiè Kal. VIIbris CIƆ IƆ XCIII.

Clariſs.º Ornatiſſimóque
viro D. Henrico Stephano
Typographo eximio

Geneuam